

Cognoverunt eum in fractione panis.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 13-35

- ¹³ **E**cce duo ex discípuis Iesu ibant ipsa die [prima sábbati] in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem nómine Emmaus,
- ¹⁴ et ipsi loquebántur ad ívicem de his ómnibus, quæ accíderant.
- ¹⁵ Et factum est, dum fabularéntur et secum quærerent, et ipse Iesus appropínquans ibat cum illis;
- ¹⁶ óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent.
- ¹⁷ Et ait ad illos:
«Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ívicem ambulántes?». Et steterunt tristes.
- ¹⁸ Et respóndens unus, cui nomen Cléopas, dixit ei:
«Tu solus peregrínus es in Ierúsalem et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus?».
- ¹⁹ Quibus ille dixit: «Quæ?». Et illi dixerunt ei:
«De Iesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo,
- ²⁰ et quómo eum tradidérunt summi sacerdotés et príncipes nostri in damnatióne mortis, et crucifixerunt eum.
- ²¹ Nos autem sperabámus quia ipse esset redemptúrus Israel; at nunc super hæc ómnia tértia dies hódie quod hæc facta sunt.
- ²² Sed et mulieres quædam ex nostris terruérunt nos,

- quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum
- ²³ et, non invénto córpore eius,
venérunt dicétes se étiam
visiónem angelórum vidísse,
qui dicunt eum vívere.
- ²⁴ Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum
et ita invenérunt, sicut mulíeres dixérunt,
ipsum vero non vidérunt».
- ²⁵ Et ipse dixit ad eos:
«O stulti et tardi corde ad credéndum
in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ!
- ²⁶ Nonne hæc opórtuit pati Christum
et intráre in glóriam suam?».
- ²⁷ Et incípiens a Móyse et ómnibus Prophétis
interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris,
quæ de ipso erant.
- ²⁸ Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant,
et ipse se finxit lóngius ire.
- ²⁹ Et coegérunt illum dicétes:
«Mane nobíscum,
quóniam advesperáscit et inclináta est iam dies».
Et intrávit, ut manéret cum illis.
- ³⁰ Et factum est, dum recúmberet cum illis,
accépit panem et benedíxit ac fregit et porrigébat illis.
- ³¹ Et apérti sunt óculi eórum et cognovérunt eum;
et ipse evánuit ab eis.
- ³² Et dixérunt ad ívicem:
«Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,
dum loquerétur nobis in via
et aperíret nobis Scriptúras?».
- ³³ Et surgétes eádém hora
regréssi sunt in Ierúsalem
et invenérunt congregátos Undecim
et eos, qui cum ipsis erant,
- ³⁴ dicétes:

«Surrexit Dóminus vere et apparuit Simóni».

³⁵ Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via,
et quómo modo cognovérunt eum in fractióne panis.

Verbum Dómini.